Arch. S. C. pro Causis Sanctorum
Reg. Decr. Serv. Dei, 1760-1762, ff. 279v-281.

Romana

Beat.nis et Can.nis Ven. Servæ Dei Sororis Claræ Mariæ à Paſſione (in Sæculo D. Victoriæ Columnæ) Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Fundatricis Monaſterii Reginæ Cæli de Urbe.

Super dubio

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate in Deum, et Proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, et ad effectum, de quo agitur.

Ad Cælestis Sponsi Nuptias vel in prima ipsa juventute evocata Ven. Serva Dei Soror Clara Maria à Paſſione, ne vacuam redderet suæ vocationis gratiam, summo licet, et nobilissimo Columnensium genere nata opes, honores, et Mundi omnes insanias falsas contempsit. Severiſſimum amplexa Institutum Carmelitarum Virginum Excalceatarum in Monaſterio S. Egidii Ejusdem Urbis, moxque uti Fundatrix accita

ad regimen novi eiusdem Ordinis Mona=
sterii Reginæ Cœli dicati, adeò alacriter per
omnes Virtutum gradus in via Domini
incessit, ut magna cum Sanctitatis fa=
ma consummato suæ vitæ cursu die 22. Au=
gusti Anni 1675, agi paulò post cœperit
eius Beat.is et Can.is Causa; quæ tandem de=
ducta ad Heroicarum illius Virtutum
examen, primo cœptum in Cong.ne Ante=
præparatoria, restauratum deinde in alia
Præparatoria, delatum postremo à Rmo
Dno Card.li Columna de Sciarra Relatore
ad Iudicium SSmi Dni Nri Pontificis
Clementis XIII. in Cong.ne Gen.li coram
eo convocata die 13. Iulii currentis
Anni, plenissimis Consultorum suffragiis
visa fuit elucere ad summum perducta
Virtus præclaræ huius Virginis, quæ una
de numero Prudentum reliquit omnia,
ut Christum sequeretur, exemplum se præ=
bens Evangelicæ perfectionis, innocentia
morum, humilitate, obedientia, Oratio=
ne, Regularis disciplinæ, et Divinarum
Le=

Legum custodiâ, perfecta in omnibus abnegatione sui, et continua exercitatione reliquarum Virtutum omnium, quarum fons fuit ardens in Deum Fides, Spes, et Charitas.

His itaque auditis, cum Stas Sua rem ad Eum differendam censuerit, ut pro negotii gravitate Divinam interim opem imploraret, hac demum octava die Solemnis Festivitatis Bmæ Virginis in Cœlum Assumptæ, quæ fuit dies ipsa obitus huius Servæ Dei, Beatmus Dnus Noster Clemens XIII. post celebratum Missæ Sacrificium, accitis coram Se Rmis DD. Cardinalibus Columna de Sciarra Relatore, Ferronio Sacror. Rituum Congregationis Præfecto, Marco Antº Columna eiusdem Smi Dni Nostri Vicario, Hieronymo Columna S. R. E. Camerario, nec non R. P. Cajetano Forti Fidei Promotore, meque infrascto Secretº, os suum aperiens in benedictionibus, ac Divino iterum implorato præsidio, decrevit =

Con=

Constare de Venerabilis Servæ Dei Sororis Claræ Mariæ a Passione Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, et Charitate erga Deum, et Proximum, ac de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, et ad effectum, de quo agitur.

Atque præsens Decretum in Acta Sacror. Rituum Congregationis referri, et publicari mandavit. Hac die 20. Augusti 1762